Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

possessiuncula partem erogare
pauperibus. et ex parte monasterium con-
struere. quod erubesco dicere infide-
litate mea. partem in sumptuum me-
orum solacia reseruare. Clamare
cepit abbas meus diaboli hanc esse
temptacionem. et sub honeste rei oc-
casione antiqui hostis astucias.
hoc esse canem reuerti ad uomitum suum.
sic multos monachorum esse deceptos.
numquam diabolum aperta fronte se prodere.
Proponebat michi exempla de scripturis
plurima. inter que illud ab inicio
quod adam quoque et euam spe diuinitatis
supplantauerit. Et cum persuadere non
posset prouolutus genibus obsecrabat
ne se desererem. ne me perderem. ne
aratrum tenens post tergum respicerem.
Ve misero michi. uici pessima uicto-
ria. reputans illum non meam utilita-
tem. sed suum solacium querere. Prosecutus
ergo me de monasterio quasi funus
efferret. et ad extremum ualedicens
uideo ait te fili sathane notatum cau-
terio. Non quero causas. excusa-
ciones non recipio. ouis que de oui-
li egreditur. lupi statim faucibus pa-
tet. De beroea edissam heremum
pergentibus iuxta est publico itinere
solitudo. per quam saraceni incertis
semper sedibus huc atque illuc uagantur.
Que suspicio frequenciam in illis locis
uiatorum congregat. ut imminens peri-
culum auxilio mutuo declinet.
ERant in comitatu meo uiri
femine. senes. iuuenes. paruuli.
numero circiter lxx. Et ecce subito bar-
barorum equorum camelorumque sessores.
hismahelite irruunt. crinitis uitta-
tisque capitibus ac seminudo corpore.
pallia ad latus caligasque trahentes.
pendebant ex humeris pharetre. et laxos
arcus uibrantes hastilia longa por-
tabant. Non enim ad pugnandum
sed ad predandum uenerant. Rapimur
dissipamur in diuersa diuidimur. Ego
interim longo post liminio hereditarius
possessor. et sero mei consilii penitens.
cum altera mulierula in unius here-
dis seruitutem sortitus uenio. Ducimur
immo portamur sublimes in came-
lis. et per uastam heremum semper ruinam
timentes. heremus potius quam sedemus.
Cibus semicrude carnes. et lac ca-
melorum potus erat. Tandem grandi am-
ne transmisso peruenimus ad interiorem
solitudinem. ubi dominam eiusque liberos
ex more gentis adorare iussi ceru-
cem flectimus. et quasi clausus carcere mu-
to habitu. id est nudus ambulare di-
sco. Nam aeris temperies preter pudi-
ciciam. nichil aliud uelari paciebatur.
Traduntur michi pascende oues. et in
malorum comparacione hoc fruor solacio.
quod dominos meos et conseruos rarius
uideo. Videbar michi habere aliquid sancti
iacob. recordabar moysi. qui et ipsi
in heremo quondam fuere pastores.
Vescebar recenti caseo. et lacte. Ora-
bam iugiter. et psalmos canebam quos
in monasterio didiceram. Delectabat
me captiuitas mea. agebam dei iudi-
cio gracias. quod monachum quem in patria
fueram perditurus. in heremo inuenerim.
O nichil umquam tutum apud diabolum.
o multiplices et ineffabiles eius insidie.
sic quoque me latitantem inuidia inuenit.
Dominus uidens gregem suum crescere. nich-
il quoque in me deprehendens fraudulencie.
sciebam enim apostolum precepisse dominis sic quasi